

CONCILIIUM ANTISSIODORENSE. SYNODUS

AB AUNACHARIO EPISCOPO ANTISSIODORENSI, CUM DIOECESIS SUÆ ABBATIBUS, ET PRESBYTERIS
CELEBRATA IC SUB ANNUM CHRISTI DLXXXVIII¹, ID EST, PELAGII II PAPÆ I, CHILPERICI
REGIS XVII.

TITULI CANONUM.

- | | | | |
|--------|--|-----------|--|
| I. | De Kalendis Januariis. | A XXXIII. | De pœna abbatis qui monachi peccata non emendat, aut denuntiat. |
| II. | Ut Quadragesimæ initium in epiphania nuntiatur. | XXIV. | Abbatii aut monacho ad nuptias ire non licet. |
| III. | Ut vota et vigiliæ in ecclesia exsolvantur. | XXV. | Abbatii aut monacho filios de baptismo habere non licet. |
| IV. | Ut auguria et sortilegia non fiant. | XXVI. | De pœna abbatis qui mulierem in monasterium ingredi permiserit. |
| V. | Vigiliæ sancti Martini interdiciuntur. | XXVII. | Novercam in uxorem accipere non licet. |
| VI. | Ut chrisma a media Quadragesima petatur. | XXVIII. | Nec privignam ducere. |
| VII. | De synodis presbyterorum, et abbatum. | XXIX. | Nec cognatam |
| VIII. | Quod mulsum in altari offerre non liceat. | XXX. | Nec duas sorores. |
| IX. | Ne chori et cantica puellarum, nec convivia in ecclesia permittantur. | XXXI. | Nec consobrinam, aut sobrinam. |
| X. | Ne in altari ubi episcopus missas dixit, presbyter illa die missas dicat. | XXXII. | Nec relictam avunculi. |
| XI. | De vigiliis Paschæ, natalis, et aliarum solemnitatium. | XXXIII. | Ut presbyteri et diaconi reorum supplicia non spectent. |
| XII. | Ne mortuus eucharistia detur, nec osculum: et ne velo vel palla involvantur. | XXXIV. | Ut presbyter iudicio capitis non intersit. |
| XIII. | Ut diaconus pallis scapulas non involvat. | XXXV. | Ut clericus clericum ad iudicem sæcularem non trahat. |
| XIV. | Ne quis in baptisterio sepellatur. | XXXVI. | Ut mulier eucharistiam nuda manu non accipiat. |
| XV. | Ne mortuus supra mortuum mittatur. | XXXVII. | Ne mulier pallas dominicas contrectet. |
| XVI. | De observatione diei Dominicæ. | XXXVIII. | Ut nullus cum excommunicato communicet. |
| XVII. | De his qui sibi mortem consciscunt. | XXXIX. | Ut qui cum excommunicato communicat simili sententiæ subiaceat. |
| XVIII. | Ut baptismus extra Pascha nisi moribundis non conferatur. | B XL. | Ne presbyter inter epulas cœtet, aut saltet. |
| XIX. | Ut missæ a jejuniis clericis celebrentur et audiuntur. | XLI. | Presbytero, vel diacono accusare non licet. |
| XX. | Ut archipresbyter de clericorum adulteriis episcopo, vel archidiacono denuntiet. | XLII. | Ut mulier sine dominicali non communicet. |
| XXI. | Ut clerici conjugati ab uxoribus abstineant. | XLIII. | De pœna iudicis qui clericum sine episcopi voluntate distrinxerit. |
| XXII. | Relictæ clericis post ejus mortem alteri nubere non licet. | XLIV. | De pœna laici qui archipresbyteri admonitionem contemnit. |
| | | XLV. | De observatione horum canonum. |

Canones.

I.

Non liceat Kalendis Januarii vetula, aut cervolo facere², vel stenas diabolicas observare; sed in ipsa

NOTÆ JACOBI SIRMONDI, S. J.

¹ In synodo Antissiodorensi nihil est quod tempus denotet, præter nomen Aunacharii episcopi qui præfuit. Nos, quia verisimile videbatur sub initia episcopatus habitam fuisse, satius duximus paulo post concilium IV Parisiense, cui interfuerat, collocare, quam ad annum Christi 590, quod nonnullis placuit, rejicere. Absurdius autem illi faciunt, qui anno 614 collocant, cum exploratum sit Aunacharium vitam ad ea usque tempora non produxisse.

² Quidam libri *vecola*, alii *væcola*, aut *vecolo*, legunt. Lectio nostra auctorem habet sanctum Eligium in sermone ad omnem plebem: « Nemo in Kalendis

die sic omnia beneficia tribuantur, sicut et reliquis diebus.

Januarii nefanda et ridiculosa, vetulas aut cervolos, vel jocticos faciat. » Exstat hic sermo in appendice tomi IX operum sancti Augustini, tract. 20, sine nomine auctoris; revera autem est sancti Eligii episcopi Noviomensis veterum exemplarium consensu, et Audoeni testimonio in Vita sancti Eligii. Hanc autem lectionem confirmat, simulque quid sit vetula aut cervolo facere docet vetus pœnitentiale in Codice Andegavensi. « Si quis, inquit, in Kalendis Januarii in cervulo et, in vetula vadet, tribus annis pœniteat, quia hoc dæmonium est. » Utrobique porro *vetula* prisco more scriptum pro *vitula*.

NOTÆ SEVERINI BINII.

^a Ad ecclesiasticam disciplinam nec non monasticam observantiam retinendam, in hoc concilio sancti reperiuntur quadraginta quinque canones; quorum nonnulli etsi in usu esse desierint, antiquitatis tamen indices remanserunt. Concilium fuit non provinciale, sed diocesanum duntaxat, cui solus Aunacharius ejusdem civitatis episcopus cum abbatibus et presbyteris ejusdem diocesis præfuit. Plura ex his, quæ in Matisconensi II concilio statuta fuerant, cuique ipse Aunacharius interfuit, et sexto loco subscripta, pariter hic repetita esse reperiuntur.

^b Antissiodorum, inquit Ortelius, « urbs est in

C Burgundionibus, vino, quod inde nomen habet, plurimum nobilitata. Hodie *Auzerre* dicitur [hoc certissimum] secundum quosdam. » Ita Hortelius; aliis est civitas Galliarum Lugdunensis juxta Sequanam [Icaunam], sita, quæ a Ptolemæo Autricum dicitur: meminit ejus Antoninus in Itinerario.

^c Paulo post concilium Matisconense II hanc synodum habitam fuisse hoc indicio colligitur, quod Aunacharius utrique interfuerit, quæque illo Matisconensi II communi Patrum consensu sancita fuerant, hac synodo diocesana suis subditis intimaverit.

II.

Ut omnes presbyteri ante epiphaniam missos suos dirigant, qui eis de principio Quadragesimæ nuntiant, et in ipsa Epiphania ad populum indicent.

III.

Non licet compensos in domibus propriis, nec pervigilias in festivitibus sanctorum facere^a; nec inter sentes, aut ad arbores sacros¹, vel ad fontes vota exolvere; sed quicumque votum habuerit, in ecclesia vigilet, et matriculæ ipsum votum, aut patribus reddat: nec sculpilia [subtilia] aut pede, aut homine lineo fieri peritus præsumat.

IV.

Non liceat ad sortilegos, vel ad auguria respicere, non ad caragios², nec ad sortes, quas sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut de pane faciunt, aspicere; sed quæcumque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.

V.

Omnia et Inter supradictas conditiones, pervigilias, quas in honore domni Martini observant, omnimodis prohibete.

VI.

Ut a media Quadragesima presbyteri chrisma petant: et si quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad archidiaconum suum, vel archisubdiaconum³ transmittat, sed cum chrismario et listeo, sicut reliquæ sanctorum deportari solent.

VII.

Ut medio Maio omnes presbyteri ad synodum in civitatem veniant, et Kalendis Novembris omnes abbates ad concilium conveniant.

VIII.

Non licet in altario in sacrificio divino mellitum; quod mulsam appellant, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre, quia ad grande reatum et peccatum pertinet presbytero illi, quicumque aliud poculum extra vinum in consecrationem sanguinis Christi offerre præsumperit.

IX.

Non licet in ecclesia choros sæcularium, vel pueliarum cantica exercere, nec convivia in ecclesia

A præparare, quia scriptum est: *Domus mea, domus orationis vocabitur* (Matt. xxi).

X.

Non licet super uno altario in una die duas missas dicere, nec altario ubi episcopus missas dixerit, et presbyter in illa die missas dicat.

XI.

Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigiliis perexplere, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec [nec manducare] in natali Domini, nec in reliquis solemnitatibus.

XII.

Non licet mortuis, nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum involvi.

XIII.

B Non licet diacono, velo vel palla scapulas suas involvi.

XIV.

Non licet in baptisterio corpora sepeliri.

XV.

Non licet mortuum super mortuum mitti.

XVI.

Non licet die Dominico boves iungere, vel alia opera exercere, nisi pro causis constitutis.

XVII.

Quicumque se propria voluntate in [aut] aquam iactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione voluntarie se morti tradiderit, istorum oblatio non recipietur. (Capitular. l. vii, c. 334. Ivo part. 40, c. 5, 6.)

XVIII.

Non licet absque Paschæ solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt. Quod si quis in alio pago, contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit in ecclesias nostras, non recipiantur usque ad satisfactionem. Et quicumque presbyter ipse extra nostrum permissum recipere præsumperit, tribus mensibus a communione ecclesie sequestratus sit.

XIX.

Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono,

NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

¹ Sanctus Eligius in eodem sermone: « Arbores, quas sacros vocant, succidite; pedum similitudines, quas per bivios ponunt, fieri vetate, et ubi inveneritis igne cremate. »

² Vulgari characteres; sed caragios habent omnes antiqui, Tilianus, Bellovacensis ac Pithœanus. Item

D et sanctus Eligius: « Non caragios promittentes, quæ explere non valent, non divinos, non sortilegos, etc., consulere præsumatis, » et sanctus Augustinus, sermone 241, de tempore.

³ Pithœanus, *subarchidiaconum*.

NOTÆ SEVERINI BINII.

^a Prohibentur vigiliæ quæ cum quadam superstitione quam admixtam habebant in privatis domibus fieri consueverant (Cap. 3: *Quæ vigiliæ prohibeantur*). Cum enim immediate ante dixisset: *Non licet conventus in domibus propriis facere, subjunxerunt, nec vigiliis in festivitibus sanctorum*. Et paulo post: *sed quicumque votum habuerit, in ecclesia vigilet*. Ita intelligenda sunt quæ de superstitione vigiliarum observatione canone quinto habentur. Hæc expositio confirmatur eo argumento, quod Patres concilii Matisconensis II, quemlibet diem Dominicum præce-

dentibus nocturnis vigiliis a fidelibus celebrari constituerint. Quod decretum provincialis concilii, cum ipse Anacharius Antissiodorensis episcopus sua præsentia et subscriptione confirmaverit, non est probabile, ut per hoc diocesanum concilium illi constitutioni aliquid derogatum voluerit, cum præsertim canone undecimo hujus concilii, de vigiliis Paschæ religiose servandis sanctissimam constitutionem ediderit. Quam frequens fuerit hoc tempore usus vigiliarum in Gallia, ex canone primo concilii Matisconensis satis liquido apparet.

post acceptum cibum vel peculum missas tractare, **A**
aut in ecclesia dum missæ dicuntur stare.

XX.

Quod si presbyter, quod nefas est dicere, aut diaconus, aut subdiaconus, post acceptam benedictionem, infantes procreaverit, aut adulterium commiserit, et archipresbyter hoc episcopo aut archidiacono non innoverit si scit, integro anno non communicet, illi vero qui hoc commiserint deponantur.

XXI.

Non licet presbytero, post acceptam benedictionem, in uno lecto cum presbyteris suis dormire, nec in peccato carnali misceri, nec diacono, aut subdiacono.

XXII.

Non licet relictæ presbyteri, nec relictæ diaconi, nec subdiaconi, post ejus mortem maritum accipere. **B**

XXIII.

Si monachus in monasterio adulterium commiserit, aut peculiare habere præsumpserit, aut furtum fecerit, et hoc abbas per se non emendaverit, aut episcopo, aut archidiacono non innoverit, ad poenitentiam agendam in alio monasterio retrudatur.

XXIV.

Non licet abbati, nec monacho, ad nuptias ambulare (*De consec., dist. 4*).

XXV.

Non licet abbati filios de baptismo habere, nec monachis commatres habere.

XXVI.

Quod si quis abbas mulierem in monasterio suo ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare [expectare] præceperit, tribus mensibus in alio monasterio retrudatur, pane et aqua contentus.

XXVII.

Non licet ut aliquis suam novercam accipiat uxorem.

XXVIII.

Non licet ut filiam uxoris suæ quis accipiat.

XXIX.

Non licet ut relictam fratris sui quis in matrimonium ducat.

XXX.

Non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in conjugium accipere.

XXXI.

Non licet consobrinam, hoc est quæ de duobus fratribus, aut de duobus sororibus procreatur, in conjugium accipere: nec qui de ipsa nati fuerint, in conjugio sociantur.

XXXII.

Non licet ut nepos avunculæ uxorem accipiat.

XXXIII.

Non licet presbytero, nec diacono, ad trepalium, ubi rei torquentur, stare.

XXXIV.

Non licet presbytero in judicio illo stare, unde homo ad mortem tradatur.

XXXV.

Non licet presbytero, aut diacono, vel cuiquam clericorum, de qualibet causa conclericum suum ad judicem sæcularem trahere.

XXXVI.

Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere.

XXXVII.

Non licet mulieri manum suam ad pallam dominicam mittere.

XXXVIII.

Non licet cum excommunicato communicare, nec cum eo cibum sumere.

XXXIX.

Si quis presbyter, aut quilibet de clero, aut de populo, excommunicatum absque voluntate ipsius, qui eum excommunicavit, scias receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, simili sententiæ subiacebit.

XL.

Non licet presbytero inter epulas cantare vel saltare.

XLI.

Non licet presbytero, nec diacono, quemquam inscribere; sed in vice sua si causam habuerit, aut fratrem, aut quemcumque sæcularem roget.

XLII.

Ut unaquæque mulier, quando communicat, dominicalem (*Can. 42*) suum habeat. Quod si qua non habuerit, usque in alium diem Dominicam non communicet.

XLIII.

Quicumque iudex, aut sæcularis, presbytero, aut diacono, aut cuique de clero, aut de junioribus absque voluntate episcopi, aut archidiaconi, vel archipresbyteri, injuriam inferre præsumpserit, anno ab omnium Christianorum consortio habeatur extraneus.

XLIV.

Si quis ex sæcularibus institutionem aut admonitionem archipresbyteri sui, contumacia faciente, audire distulerit, tandem a fiminibus sanctæ ecclesiæ habeatur extraneus, quandiu tam salubrem institutionem adimplere non studuerit. Insuper et multam, quam gloriosissimus dominus rex præcepto suo instituit, sustineat.

XLV.

Si quis hanc definitionem, quam ex auctoritate canonica consensu et convenientia conscripsimus ac institimus, tam ad clerum, quam ad populum commoneandum, vel ad id quod constitutum

NOTÆ SEVERINI BINII.

corpus Christi accipiant, » etc (a).

* Quid per dominicalem intelligi debeat, accipe ex sancto Augustino, qui de hoc agit sermone centesimo quinquagesimo secundo de tempore, ubi ait: « Omnes viri, quando communicare desiderant, lavent manus, et omnes mulieres nuda exhibeant linteamina, ubi

(a) Errare hic videtur Binus, ut in nostris Annotatis observabimus. LABB.

eat conservandum, negligens inventus fuerit, et ob hoc observare distulerit, aut eos qui ipsum audire neglexerint celaverit aut suppresserit, et in notitiam episcopi non deposuerit, anno a consortio fratrum, vel ab omnium Christianorum communione habeatur extraneus.

SUBSCRIPTIONES.

Aunacharius in Dei nomine episcopus constitutionem hanc [confirmavi et] subscripsi.

Vinobaudis [Winebaudus] abbas subscripsi.

Baudonius [Baudoveus] abbas subscripsi.

Francolus [Frannulfus] abbas subscripsi.

Cæsarius abbas subscripsi.

Desideratus abbas subscripsi.

Amandus abbas subscripsi.

Tegredus abbas subscripsi.

Vigilius presbyter subscripsi.

Gregorius presbyter [abbas] subscripsi.

Claudius presbyter subscripsi.

Anianus [Ananias] presbyter subscripsi.

Saupandus presbyter subscripsi.

Theodulfus presbyter subscripsi.

Ruricius presbyter subscripsi.

Niobaudis presbyter subscripsi.

Antonius presbyter subscripsi.

Sevardus presbyter subscripsi.

Addo presbyter subscripsi.

Sindulfus presbyter subscripsi.

Audovius [Audoveus] presbyter subscripsi.

Medardus presbyter subscripsi.

Badericus presbyter subscripsi.

Syagrius presbyter subscripsi.

Friobaudis presbyter subscripsi.

Eominus presbyter subscripsi.

Elladius presbyter subscripsi.

Theodemodus presbyter subscripsi.

Launovius presbyter subscripsi.

Leonastis presbyter subscripsi.

Medardus presbyter subscripsi per diaconum Leudegisilum.

Eunius presbyter subscripsi.

Filmatus presbyter subscripsi.

Nonnovius presbyter subscripsi.

B Ballomeris presbyter subscripsi.

Romacharius presbyter subscripsi.

Medardus presbyter subscripsi.

Audila presbyter subscripsi.

Genulfus presbyter subscripsi.

Syagrius presbyter subscripsi.

Sindulfus presbyter subscripsi.

Vinobaudis presbyter subscripsi.

Barbario diaconus subscripsi.

Leudegisilus diaconus pro Medardo subscripsi.

In hac synodo fuerunt congregati episcopus unus, abbates septem, presbyteri triginta quatuor, diaconi, qui in vice presbyterorum subscripserunt, tres tantum.

SANCTI AUNARII, ANTISSIODORENSIS EPISCOPI,

EPISTOLA AD STEPHANUM ABBATEM

(*Ex Bolland., prima die Maii.*)

HUNC HORTATUR UT VITAM SANCTI AMATORIS CONSCRIBAT.

Dilectissimo atque amantissimo et interno mihi vinculo charitatis connexo Stephano presbytero, Aunarius gratia Dei episcopus, in Domino æternam salutem.

Tuæ nobis doctrinæ multis jam experimentis comprobata prudentia compulit nos, quandam tuis humeris imperiosam superponere sarcinulam; sed eam quæ tibi non sit oneris, sed honoris; nec quæ deorsum iniquo pondere premat, sed quæ potius cœlum usque sustollat. Cognitum tibi est, charissime frater, et quæ sit humanarum mentium diversitas, et quemadmodum in studia contraria non solum inane vulgus, verum etiam universa scindatur nobilitas. Et quidam quidem prosaico oblectantur stylo,

quidam autem numeris se rhythmisve ac cantibus versuum delectari fatentur. Ergo, ut omnium vitiis occurrerem, et nullus suo desiderio fraudaretur, placuit mihi ut vitas beatissimorum confessorum quasdam pede libero describeres, quasdam vero lege metrica impeditas digereret: ob quam rem obsecro unitam mihi tuæ dilectionis amicitiam, ut beatissimi Germani episcopi vitam in versuum quietem, commutare non desistas; sancti vero Amatoris prosaica modulatione describas; ut sectatores apostolicæ prædicationis effecti, omnibus omnia efficiamur, et nulli quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus. Individuam mihi charitatem vestram divina custodiat pietas, venerabilis frater.